

Dissertatio inauguralis medica de ictero / [Salomon Cellarius].

Contributors

Cellarius, Salomon, active 1732.
Schulze, Johann Heinrich, 1687-1744.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Jo. Christiani Hilligeri, [1732]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/m4qeb4su>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

8
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE

ICTERO

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ
CONSENSV

PRÆSIDE

IO. HENRICO SCHVLZE

MEDICINÆ DOCTORE EIVSDEMQUE VT ET PHI-
LOSOPHIÆ ELOQVENTIÆ ET ANTIQVITATVM PROFES-
SORE PVBLICO ORDINARIO ACADEMIÆ CÆSAREÆ NA-
TVRÆ CVRIOSORVM VT ET REGIÆ SCIENTIA-
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS
SODALE

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS MORE MAIORVM SOLEMNI
OBTINENDIS

a. d. XVIII. Octobris clc Idcc xxxii.

PVBLICÆ VENTILATIONI SVBMITTET

SALOMON CELLARIVS

STREHLA - MISNICVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

Typis IO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

IO. HENRICO SEPTIZ

[illegible]

1702

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

23 NOV 1954

THE MIDDLEBURY COLLEGE LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS
MEDICA.

DE

ICTERO.

§. I.



Vem morbum Græci *icterum* vocarunt, is Romano ore *arquatus* dicitur, itemque *aurigo*. Non raro *regium* vocari *morbum* videas. Quanquam vero nominum amplissima inuestigatio minimum fructum arti adfert, dandum tamen consuetudini aliquid videtur. Icterus ab oculis *vierræ*, quam Græci *ικτίδα* vocant, quique auri colorem præ se ferunt, AETIVS *lib. X. cap. 17.* denominatum existimat. Qui ab ictero aue, quam PLINIVS *hist. natur. lib. XXX. cap. II.* galgulum Latine vocari putat, nomen deduxere, ad id forte respexerunt, quod, eodem teste, id malum sanetur aue illa spectata, quæ vero mortem sanationis mercedem reportare hinc perhibetur. *Regius hic morbus* dicitur, Q. SER. SAMMONICO auctore,

Molliter hic quoniam celsa curatur in aula:

quod CORNELIVS CELSVS illustrat *libr. III. cap. 23.* qui curando præcipit *lecto & conclavi cultiore uti, ludis, lascivia, aliis, per quæ mens exhilaratur: ob quæ regius morbus*
A *dictus*

dictus videtur. Aliam causam PLINIVS H. N. XXII. 24. affert: *Varro regium cognominatum morbum arquatum tradit, quoniam mulso curetur: cuius ætiologiæ rationem non video, neque valde requirere eam cupio. Auriginem* haud dubito dictam hinc fuisse, quoniam corpus flauedine auri æmula tinctum & suffusum apparet. Malunt quidam *auruginem* scribere; & forte hoc melius est, sed illud hodie vsitatius. *Arquatus* morbus, quasi *arcuatus*, NONIO auctore nomen accepit *quod arcus* (scilicet cœlestis) *sit concolor de virore, vel quod ita stringat corpora, ut in arcum ducat:* quam etymologiam auctori suo grammatico relinquimus. Qui morbo hoc laborant, icterici, auruginosi, arcuati, arquati audiunt: felle suffusos PLINIVS XXI. 20. eleganter dixit: & TERTVLLIANVS: *qui redundantia fellis auruginant.*

§. II.

Enimuero satis iam multum dedisse nominum enucleationi videmur: ad ipsum nunc morbum propius accedamus. Hunc definimus totius corporis cachexiam, quæ partibus solidis, præcipue superficie corporis, vel fœdam & ingratam flauedinem, vel obsoletum liuorem inducit, eodemque de humorum vitalium, seorsim vero bilis, tam in crasi, quam motu, vitiis, indicium facit, variisque actionum læsionibus coniuncta est. Genus morbi, ETTMVLLERVM sequuti, statuimus cachexiam. Hanc autem schola medica vocat solidarum corporis partium deprauationem, quæ cum fluidis mutuas rationes habet: sic vt harum corruptio illarum vitio producat & foueatur; & vicissim illarum labes harum sustentetur & augetur deprauatione. Differt autem a cachexia serosa, eo potissimum, quod hic bilis vitiosa indoles manifestis signis

signis in oculos incurrit: illic lymphæ mucidæ & inertis vitium flaccida, molli & pallida inflatione semetprodit.

§. III.

Differentias icteri multas medici annotarunt. Artis nostræ præcipuus auctor HIPPOCRATES tribus locis, si recte memini, describit aliquem *acutum*, qui intra quatuordecim dies enecare hominem soleat, nisi natura, medicinis adiuta, morbo superior euadat. Vide *de dieb. iudicat.* §. VII. & *de morbis* III. §. XII. quibus locis eadem, totidemque verbis, traduntur: adde autem *de intern. affect.* §. XXXVIII. vbi eiusdem rei aliquanto clarior expositio legitur. Aestate hic maxime corripit, bile commota. Color totus malicorii speciem refert, & est vehementer cum virore pallidus, quemadmodum lacerti cum virore pallidiores. Et oculi pallidi fiunt: in capite sub pilis velut cortex subest; & rigor ac febris corripit. Urina pallida mingitur, & crassum subpallidum, aut velut eruum fulvum, in ipsa subsidet. Mane, quamdiu ieiunus est, ad cor & viscera exfugitur. Si quis ægrotum erigat, alloquatur aut interroget, ægre fert & anxius fit. Quandoque etiam stragula habere non sustinet, sed mordetur ac raditur. Excrementa cum pallore albicant & male olent. *Acuto* huic, quem & *icterum æstivum* vocare liceret, mox subiicit alium *de intern. affection.* §. XXXVIII. quem *acutum hyemalem* dicere poterimus. Corripit enim tempore hyemali, ex ebrietate & frigore. Incipit autem primum rigor inuadere, postea etiam febris detinet. Liuidum est corpus & subdurum. Et venæ per corpus distentæ sunt, pallidæ: maiores autem & crassiores sunt, quam prius: & aliæ venæ subnigriores distentæ sunt. Et si quis aliquam ipsarum secet, sanguis effluet pallidus, si pallidæ sunt

A 2

venæ:

venæ : si vero nigræ fuerint , niger sanguis effluet. Vestes præ pruritu non sustinet , genua præ debilitate labascunt , sitit vehementer. Hic morbus, si non primis diebus emendetur malum , & ad octauum aut nonum diem duret, valde intenditur, dolor magis premit, exsurgere ægrotus non valet , & plerique hoc tempore statim pereunt : facile degenerat in diuturnum & grauem. Statim subiungemus *icterum hyemalem alterum*, quem *album* appellare haud incongruum puto. Fit enim , auctore Hippocrate, *l. c. §. XLI.* a pituita, hyeme autem maxime corripit : & color ægroti est albus : pectus pituita oppletur, salua copiose expuitur, & quum excreat ægrotus , singultus ipsi oboritur. Album lotium ac crassum mingitur, & in eo subsidet velut farina. Aliquando etiam febris debilis & horror tenuis accedit. Ceterum haud lethalis est hic morbus & breui sanatur, si iisdem medicamentis & auxiliis, quibus in prioribus opus est, mature succurratur. Quin *icteros* etiam *auctumnales* & *vernales*, sed paucissimis, & tamquam per transiennam, ostendit potius, quam describit libro *de humorib. §. VII.*

§. IV.

Præter modo adductas icteri species idem HIPPOCRATES *c. l. §. XL.* porro describit alium *icterum popularem*, quem sic appellatum dicit, eo, quod omni tempore corripit. Fit autem a repletionem maxime ac ebrietate : & postquam riguerit , statim sane corpus immutatur & pallidum fit, & oculi pallidi valde sunt : & sub pilos ac sub ungues morbus procedit ; & rigor ac febris debilis tenet. Corpus debile est : caput dolet : pallidum ac crassum mingitur. Hic morbus prioribus minus lethalis est, & curatus breui sanatur. Commemorat etiam *icterum ni-*
grum

grum de morbis II. §. XXXV. in quo color fit niger circa faciem & palpebras: & oculi cum virore pallidi, itemque lingua inferne, & venæ sub lingua crassæ ac nigræ: & est homo sine febre, ac mingit vrinam crassam, biliolam. Cui subiungit aliam speciem, qua febris corripit debilis, & gravitas caput tenet, & quibusdam sane febres cessant. Æger vero fit cum virore pallidus, & maxime oculi, & debilis est & corporis impotentia adest, & vrinam crassam, cum virore pallidam, emittit. Denique *icterum criticum* laudat *de victu acut. §. XLIV.* & *de indicat §. III. & IV.* Tandem *voluuli* etiam *arcuati* nomen occurrit *de intern. affectionibus §. XLVIII.* qui Græce *εἰλεὸς ἰκτερώδης* vocatur. Tota eius descriptio nihil habet, quod voluulo, qui hodie in scholis notus est, conueniat, omninoque sistit ictericam cachexiam cum scorbuto mixtam: quemadmodum & ille voluulus, quem antecedente paragrapho recenset, ictero albo per omnia similis est: prorsus vt alterutrum statuere opus sit, quod vel *εἰλεοῦ* nomen ibi in mendo iaceat, vel quod auctor illius libri *εἰλεὸν* alio significato latiori accipiat: prius etiam ANVTIO FOESIO in *oeconomia Hippocr.* placuisse video: ad posterius autem statuendum ob multas causas, quas hic locus non capit, magis inclinatum me sentio.

§. V.

Vidimus differentias icteri, quas HIPPOCRATES annotauit; quas si non omnes æque in nostris scriptoribus enarratas inuenimus, magnopere mirari non oportet, quum clima, & vitæ genus, multum variare soleant, & pro eo etiam diuersissimi morbi nascantur. Nostrates auctores icterum flauum & nigrum fere solos describunt.

Album ET TMVLLERVS *Operum Tom. II. Part. I. pag. 442.*

in titulo articuli quarti ponit: sed in ipsa tractatione omnino omittit: quod nec valde miror, quum ad cachexiam, vel chlorosin, totus referri posse visus fuerit. Hippocratis autem temporibus cachexia, nunc abunde decantata, omnino ignorabatur, nec morborum catalogo insertum hoc nomen, per se satis generale, reperitur: mihi saltem non succurrit ullus locus, quo legatur; quum oppositum eius, τὴν ἐνέξλην satis obuiam habeamus. Vellem vir doctissimus DAN. CLERICVS, qui *hist. medic. P. I. lib. III. cap. 8.* in indice morborum Hippocrati notorum, cachexiam etiam ponit, locum indicasset, vbi eam legerit.

§. VI.

Porro distingui hic morbus solet, vt alius sit *idiopathicus*, qui per se, non immediate prægresso alio morbo, exortus est: alius *symptomaticus*, qui iecinoris aut lienis vitio, siue inflammata sint hæc viscera, siue indurata aut spasmo constricta, innititur. De *critico* iam diximus: ille febribus, biliosis quondam dictis, iusto tempore, subito superveniens salutis spem facit: minus autem legitimis diebus emicans, periculum denunciat; de quo multa & anceps est disputatio veterum & neotericorum: quam si quis vno quasi obtutu arbitrari cupit, legat MARCELLI DONATI de *med. hist. mirab. lib. I. cap. 9.* Ab hoc autem probe distinguendus est ille, qui febribus quibusdam malignis epidemiis, quando acuta eorum indoles elanguescit, & faciem chronicam induunt, superuenit, satis diu durabilis, & quibusdam tota sua vita deinceps inhærescens: de quo LANCISIVS in aureo tractatu *de noxiis palud. effluviis* notatu digna habet. Datur etiam *epidemicus*, magis vel minus grauis: itemque *connatus*: de quo KERKRINGIVS *Spicileg. anatom. obs. 17.* testimonii loco sistit nuper
natum

natum fœtum, cuius non sanguinea tantum vasa fel continebant, verum etiam ossa instar ceræ citrinæ flavescebant: erat autem is a matre icterica in lucem editus. Icterus etiam ab ictero gradu differt: sunt in quibus tantum superficies & albuginea oculi tunica flavedinem ostendit: dantur vero, qui, cum morbo diutius conflictati, fuscā nigredinem aut obsoletum virorem præ se ferunt: quorum ossa tota flavedine imbuta sunt, ut vix vlla arte dealbari possint ex talibus parata sœleta. Tandem etiam *malignus* icterus passim commemoratur, a causa virulenta, ut viperarum, aranearum aut canis rabidi morfu, venenisque intus sumtis.

§. VII.

Historiam morbi paucis complectemur. Nulli ætati vel sexui peculiaris est, sed omnibus ex æquo imminet. Quibusdam tacite quasi subrepat, nullamque adeo notabilem molestiam infert: solaque externi habitus auruginosa defœdatione cognoscitur: quod fere in epidemio accidit. Aliis ingruit cum horrore & insigni lassitudine, quam mox comitatur, aut non tardo pede subsequitur, sensus quidam subitæ violentæ strictionis præcordiorum, aut saltem tensionis ac pressionis, tanquam intus graue pondus incumberet. Mox angustia illa inualescens respirationem difficilem reddit, unde decubitus plerisque molestus est; & incessus, ob citam lassitudinem & respirandi maiorem difficultatem, odiosus. Succedit animi torpor, hebetudo & fastidium: in somnum procliuitas magna, qui tamen raro quietus est & continuus; cuius interruptionis crebræ causa fere est, quod, quam primum incalescunt, totum corpus prurigine quadam exagitur admodum toediosa. Alui haud constans & perpetua est ratio.

ratio. Aliquibus biliosa fluit: aliis albicantia, aut pallentia cruda subuiscosa, deiecit: rursusque sunt alii, qui dura & alba, non sine difficultate, excludunt. Vrina saturate rubra est, &, quando in vitro agitur, flauedinem quasi croceam lateribus adhærescentem ostendit: quæ eadem linthea, quæ immissa sunt, satis conspicue tingit: nonnunquam prope nigrescit. Multis salua, notabili amaritie imbuta, saporem assumptorum corrumpit. Ceterum flauedo, quæ se initio plerumque sincera ostendit, cute magis relaxata, temporis progressu, sæpe inalbescit, tandemque pallide viret. Peculiariter illud obseruandum est, quod corpus raro & ægerrime sudet. Multi sine febre manifesta hæc patiuntur: non paucis obscura & lenta febris adest: vtique illis, qui febres malignas epidemias aut dysenterias effugerunt & non satis fideliter percurati sunt: quorum status vtique periculosus est, quum fere hectici moriantur.

§. VIII.

Hac symptomatum syndrome iam notata, signis huius morbi late adducendis nihil opus est. Progredimur itaque ad scrutinium causarum, a quibus tam grauis & varius morbus enascitur, & sustentatur. Si ab HELMONTIO, & sequacibus, discedimus, reliqua omnis schola medica bilem hic vno ore accusat, quamuis in culpa, quam sustinet, explicanda haud omnes conueniunt. Helmontium tantisper differemus, donec vetustiores patres artis & antistites absoluamus. HIPPOCRATES quidem magis in obseruando sedulus, quam in ratiocinando & hypothesebus fabricandis ambitiosus, nullo, qui succurrat, loco ample de causis huius affectus differit, & vnico tantum, quem §. 3. laudauimus, bilis commotæ mentio-

tionem facit. Ipsum longo ordine insequuti quaternario assumpto elementorum totidem respondentes in corpore animalium humores vitales effinxerunt, iisque omnium, quæ recte vel prave in corpore fiunt, causas assignauerunt, deque iis amplissime philosophati sunt. Hi icterum flauum a flaua bile, nigrum a nigra, seu melancholia, deriuabant, & iecur ac lienem, tamquam officinas, quibus hi humores sani gignantur, morbosi hospitentur, simul accusabant. Summa doctrinæ veteris illuc redit, vt vel bilis copiosior in calido nimium iecore oriatur, quam cystis fellea capere possit, vnde eadem redundans in corpus vndiquaque erumpat; sanguinique vel sero remixta in extimam corporis partem feratur, eamque inficiat: vel meatus ad vesiculam fellis tendentes quouiscunque modo obstruantur: vel denique visceris inflammati incendio maxima sanguinis pars in bilem vertatur, & per totum vndiquaque corpus distribuatur. Atque hunc fere in modum de ictero philosophantur omnes inde a GALENI temporibus, per sæcula Arabico-scholastica, ad patrum vsque ætatem: multaque de facultatibus secretrice, attractrice, retentrice, expultrice vario modo læsis, viscerumque intemperie, magna subtilitate disputant.

§. IX.

HELMONTIVS tandem exortus, quum humorum quaternarium multo molimine impugnasset, & de bile euicisset, quod sit humor vitalis, magnis vsibus destinatus, maleque pro nudo excremento inutili habeatur: singulari capite tractatus sui, qui *scholarum humorist. pass. deceptio* inscribitur, icteri naturam exponere aggressus est. Negat autem illud flauum, quod auruginosos inficit, bilem esse:

B

habet-

habetque pro excremento secundæ coctionis, quod præ-
 postero ordine in venas abripiatur, cui se iungat peculiare
 aliquod venenum, siue ab extra adueniens, siue in corpore
 enatum, postquam naturæ ordines, primæ coctio-
 nis vitio, turbari cœperunt. Causam itaque icteri effici-
 entem statuit venenosum fermentum, toto genere præter
 naturale, quod pylorum tam male afficiat, vt concoctio
 & digestio inde peruertantur; cuiusque quasi nidus inter
 pylorum & duodeni finem sit positus. Quam concinne
 solideque hæc dicta sint, iam non quærimus: nunc modo
 FRANC. DE LE BOE SYLVIVM, qui Helmontii
 huius longe plurima dogmata, aliis tantum verbis
 & phrasibus, describit, audiemus. Hic vero in eo totus
 est, vt doceat in ictero bilis non tam motum, quam poti-
 us crasin, vitari, vt sanguini non intime, sed superficialie
 tantum, misceatur. Id autem accidere, quando sal bilis
 lixium, quod supponit, vel nimis obtusum est, vel ultra
 modum acre & volatile, vt vel prorsus nullam cum succo
 pancreatico fermentationem subeat, vel acido eius multum
 præualeat. Ceterum non omnino excludit motus etiam
 vitia: sed ita frigide ea admittit, vt facile appareat, quod
 non nimis multum ipsis tribuat. Videtur autem eo po-
 tissimum niti, quia icterici visi sunt, in quorum cadaueri-
 bus dissectis viæ, per quas bilis ad duodenum, tam a ieci-
 nore, quam e cystide confluit, satis liberæ fuerunt: rur-
 susque alii, quibus tota cystis lapidibus repleta erat, quum
 ab arquato tamen immunes manserint.

§. X.

Vt itaque diiudicare liceat, quis verissimam icteri
 causam attulerit, considerare debemus aliqua phænome-
 na

na corporum ictero laborantium : vt ex effectibus morbi causæ veram indolem assequamur. Primo videbimus, qualis sit eo morbo affectorum sanguis, aut quale id, quod sanguinis vices præstat? HOLLERIVS testatur cuidam nobili, morbo regio correpto, fuisse sanguinem detractum, ad octo fere vascula, iteratis vicibus : *sanguinem totum & spuma & consistentia flauum fuisse*. THEODOR. KERCKRINGVS *Spicileg. obseru. anat. obs. LVII.* breuem hanc, sed neruosam, adfert historiam: Mater ictero laborans, octauo grauidationis mense peperit mortuum fœtum, puerum quidem, sed ita flauum, vt e cera confectus puer, non partus humanus videretur. Eum potestatis meæ factum feco : *pro sanguine humorem fellis instar flauum reperi*o, eumque diligenter lagena exceptum seruo. SCHENCKIVS *obseru. medicinal. Lib. III. p. m. 465.* de quodam auruginoso, cui ex vena secta *sanguis totus luteus* effluebat, testimonium ex BRASSAVOLO affert : & THEOD. ZWINGERVS *theatr. prax. med. P. II. p. 3.* testatur in ictericis quandoque ne guttulam quidem vnicam rubicundi floridique cruoris deprehendi, quod aliquoties, non sine stupore viderit, dum sanguinem, per venæ sectionem curiositatis gratia emissum, *flauæ iumentorum urinae similem* obseruauit. Immo, *in femina quadam, inquit, summe icterica conspeximus sanguinem & urinam, quam crassam emisit, sibi inuicem simillima fuisse: post quindecim vero dies, quibus icterus integre propemodum discussus fuit, sanguinem ad aliquot uncias extractum maxime rubicundum ac floridum existisse.* Quid? quod ipsemet HIPPOCRATES, loco quem §. III. laudauimus, idem testatur: *si quis aliquam venarum secet, sanguis effluet pallidus, αἷμα ὀχρεόν.*

§. XI.

Satis, credo equidem, testatum hæc faciunt, quod icterici sanguinem in vasis inclusum gerant, qui a sanguinis legitima indole tantum distat, ut vix nomen suum tueri possit. Si itaque cognouerimus unde fiat, ut sanguis tantopere a natura desciscat: & quid incommodi ab huiusmodi latice in totum corpus redundet, parum forte a solida & sufficiente theoria icteri pathologica aberimus. Ut vero primæ quæstioni satisfaciamus, ex physiologiæ principiis repetendum est, quod sanguis laudabilis fiat ex bono chylo: chylus autem sit lac aliquod, aut, si mauis, emulsio, multorum humorum vitalium ope ex assumptorum partibus resolubilibus, salinis, gelatinosis, pinguibus, rite inter se mixtis, emergens: qui, sic constitutus, sponte quasi sua ad induendam rubedinem procliuus est: sed eo magis in illam transit, quando sanguini iam affusus, vna cum illo in corde & pulmonibus intime subigitur, & per vasa sanguifera totum corpus longe lateque permeat. Dixi chylum sponte sua ad rubedinem vergere: quod videre licet, si quis canem bene pastum, iustoque tempore enecat, sectioni subiicit. Vasa chylifera tunc omnia albissima apparent, cisterna etiam lumbaris & ductus thoracicus lacteo humore turgent. Si post horas aliquot ad examen earundem partium redieris, manifestus iam erit color roseus, quem illo tempore sponte contraxit: quod experimentum sæpius repetitum, eodem semper modo successit.

§. XII.

Requirirur autem, quod modo diximus, si laudabilis chylus albus fieri debet, ut partes omnes illum constituenten-

tuentes rite mixtæ inter se coeant ; seorsim vero vt pingua aquosis amico iungantur vinculo. Huius autem amicitia interpretem esse bilem, idque illius primarium esse officium, multa & luculenta argumenta probant. Potissimum est, quod a natura eius petitur, qua vitello ouorum, aut saponi, in soluendis pinguibus ac resinosis, paria facit: sic vt ope eius cum aqueis perfecte vniantur. Deinde autopfia docet, quod chyliфера vasa, id est lacteum illum succum ducentia, nullibi conspiciantur, nisi infra illum canalis intestinorum locum, vbi in homine bilis & succus pancreaticus communi ostio influunt, & chymo a ventriculo dimisso admiscuntur. Idem in canibus, quoties libet, obseruare licet: modo illud rite attendatur, quod in hoc animalium genere vas aliquod satis magnum, ab ipso loco, quo bilis infunditur, exortum, ad superiorem duodeni regionem reflexum, excurrat. Quum vero ventriculo commissa, inque eo digerenda assumpta, saliuam, variosque alios succos, admixtos iam habeant, & lymphaticorum ductuum ope iam aliqua lymphæ sub forma hinc dimittantur; chyliferum vero vas omnino nullum a ventriculo deducatur: facile apparet debere aliquid in duodeni parte superiori admisceri, quod ad lacteam illam emulsionem ex assumptis parandam sit necessarium. Scio quidem a GLISSONIO scribi, quod WHARTONVS sibi venas lacteas, a ventriculi fundo excurrentes, ostenderit: sed nihil ad excusandum vtriusque errorem mitius dici potest, quam quod ipsis vas lymphaticum specie lactei imposuerit; quum cetera omnino conueniant, & non nisi illo vno distinguantur, quod chylifera certo tempore lacteum humorem continent. Tandem etiam hunc indi-

catum bilis vsum in coniungendis pinguibus & aquosis, sicque chylum laudabilem proferendo, maxime comprobabat luculentus fructus bili in hac parte analogorum, de quibus nunc nondum esse dicendi locum video. Merito igitur concludimus, quod ad laudabilem chylum album, qui idoneus sit mutationi in purpuram sanguineam, requiratur concursus bilis recte constitutæ, in canalis intestinalis principio admiscendæ: eaque si desit, de chylicatione, mox etiam sanguificatione proba desperandum esse.

§. XIII.

Quid autem de sanguine, in quem loco legitimi chyli imperfectus & minus elaboratus influit, sperandum sit, aut potius, quæ noxæ in totum hinc corpus redundaturæ sint, age nunc dispiciamus. Proximum quidem est, ut sanguis fiat non-sanguis, hoc est, ut globuli resplendentes rubri, qui toti massæ colorem largiuntur, successiue detriti in serum fatiscant; nullisque novis succedentibus globulis albis, qui purpurei fieri possint, tota tandem quantitas humorum serosa fiat. Dicat aliquis, quid inde mali? quum non purpurea sanguinis portio nutriat, sed alimentum corpori sustentando necessarium sero innatet. De diis poetæ fabulati sunt, quod sanguinem album habeant, non purpureum: scriptoresque idonei memorant homines fuisse, qui, loco purpurei sanguinis, instar lactis album aliquamdiu circumtulerunt, ignari totius rei forte mansuri, nisi chirurgo venas secandas præbuissem. Mulier ista, de qua ex KERCKRINGIO retulisti, icterica, non solum ipsa vixit & nutrita est: sed filium etiam concepit, & ad octauum vsque mensem gestavit. Sed bona verba, quæso! Non vivere, sed valere, vita est. Non nutriri tantum

tantum corpus debet, sed laudabili nutrimento; quale quum non haberet, quod foetui suo afferretur, infelix mater icterica fructum ventris sui pessum dedit. Quod sanguinem lacteum aliqui habuerunt, sine adeo magno valetudinis incommodo, altioris res est indaginis: & quamquam ille non est naturæ instituto conformis, neque tamen usque adeo multum inde recedere videtur, facileque ad rubedinem reducitur. In eo autem tam albus, quam rubicundus sanguis conveniunt, quod utrobique adsunt sphaerulae tenues sero innatantes: quarum insignis hic usus est, ut mutuo ad se ipsos, & vasorum latera, perpetuo attritu calorem vitalem intendant & conservent, & ut secretionum, in organis a natura constitutis, debitum successum moderentur, finesque quasi ponant sanguinis viarum, & feri siue nutritii siue excrementitii itineris: quæ quidem doctrina amplior est, quam ut hoc loco plene illam edisserere liceat. Quo supposito patet & consequitur fieri non posse, quin, ubicunque illi globuli omnino desunt, aut non debita quantitate adsunt, calor vitalis sensim decreascit, secretionum autem legitimus succensus imminuitur, tandemque aboleatur: ex quo cachexiam consequi necessarium est.

§. XIV.

Patet, ni fallor, ex adductis, quantas partes in chylificatione primum turbanda, deinde vero sanguificatione pervertenda & abolenda, bilis absentiae tribuere debeamus, respectu tantum habito ad usum illius primarium, qui est pingua aquosis intime permiscere. Quumque omnes illas noxas in ictericis manifeste deprehendamus, nullo quidem pacto dubitandum est, quod bilis, motu suo

suo peccans, id est, non legitimo tempore ac quantitate duodeno infusa, icterum in fieri, vt scholæ loquuntur, producat & in esse conseruet. Vbi duo adhuc attendenda video, scilicet quum duplex sit bilis, hepatica altera, tenuis, diluta & fere insipida; altera cystica, quæ crassior & amarissima est: multum differre morbosos effectus, pro eo ac vel illa, vel hæc, affluxu suo prohibetur: vel omnino vtriusque beneficio naturæ carendum est. Deinde quum plures sint bilis vtilitates, præter primariam, de qua hætenus sola loquuti sumus, nunc etiam prouenientia ab illorum vsuum cessatione incommoda paucis consideranda esse. Has inter eminet virtus assumpta & in ventriculo digesta vltius attenuandi & fluxiliora reddendi: deinde vero etiam intestinales fibras ad vegetiorem motum peristalticum excitandi. Vtriusque virtutis absentiam auruginosi luunt, dum excrementa plerumque pauca & subuiscosa, idque paulatim, & crebro ad desidendum progestu, teste LOMMIO, secedunt; aliis autem aluus laxior, pallida, interdum etiam lienterica, excludit. Et viscositas illa quidem de incidentis & mucositatem resoluentis absentia abunde testatur: quam cum siccitate coniungi tunc existimo, si ægrotus potu sufficiente non vtatur, quod persæpe fit in illis, qui cereuisiæ potui antea adsueuerunt, cuius specialem auersationem in ictericis notauit ETTMULLERVS *l. c.* Cur autem deiectiones plerumque albeant, causam potissimam existimo, quia, quod adsumtis inest pingue maxima sui parte remansit cum fæcibus: quoniam deficiente medio coniunctiuo aqueis non fuit permixtum, vt chyliferorum vasorum radices subire posset.

§. XV.

Dispicemus nunc de causis istis, quæ efficere possunt ut bilis influxus ad intestinum duodenum vel omnino suspendatur, vel admodum parce & impedit fiat. Illarum maxime familiaris est spasmodica strictura tunicæ illius admodum nerveæ, quæ arteriam hepaticam, venam portæ & poros bilarios, tandem in ductum hepaticum coeuntes, in iecinoris parte concaua circumdat & ad exilissimas vsque ramificationes comitatur. Nomen capsulæ Glissonianæ illa gerit, & in bilis secretionem maiores partes sustinet, quam hic locus exponere permittit. Monuisse sufficiat, quod ab iracundia profundiore, præsertim suppressa, mœroreque coniuncto, sed dissimulando, itemque in febrium tertianarum popularium initiis, quum aer caustica salina impuritate repletus est, ut & a drasticis vomitoriis & venenis, spasmodica strictura, ventriculi orificio sinistro primum insidens, mox ad plexum hepaticum propagetur, quin non raro plures in abdomine plexus corripiat. Hoc autem facto vel feroces vomitus, vel alui fluxus biliosi consequuntur, sub quibus quicquid vel in ductibus vel cystide affuerat bilis, eiicitur. Quod si iam permanet strictura illa, & nec sponte sua resoluitur, nec medicinarum antispasmodicarum virtute emendatur; nulla in constrictis venæ portæ & ductuum biliariorum extremitatibus fieri potest bilis secretio. Illud vero, quod in sanguine iam erat biliosum, & quod ab intestinis, durante hoc statu bile perfusis, in vasa chyliifera penetrauit, in sanguine necessario manet, dumque omne corpus perfluit, auruginem in partibus, quas exsanguis vocare solemus, conspicuam breui tempore producit. Finem tali

aurugini facit stricture, quam accusauimus, remotio & emendatio; quam consequuti vix aliis indigemus remediis: si vero eam non consequamur, cachexia lentis gradibus subrepat & confirmatur. Atque hoc pacto intelligendum est, quod scholæ dicunt de bilis regurgitatione ad sanguinem, hincque ad cutim translatione critica: quumque illa per se nullam cum reditu sanitatis connexionem habeat; neque mirum videri debet, quod veterum hinc desumpta præfagia infirmissimo stare talo obseruantur, & toties totiesque euentu ipso refutata sunt. Diutius persistente hac spasmodica stricture hepatis cavæ partes indurantur & scirrhescent, aliquando abscessus oriuntur: cuius generis multa exempla, in cadaueribus post mortem incisus obseruata, apud anatomie practicæ scriptores prostant. Talia desideranti vnus THEOPH. BONETVS in *sepulchreto tom. II. pag. 321. seqq.* abunde satisfaciet.

§. XVI.

Ex modo adductis patebit ortus icteri a bilis vitio, quod in motu eius potissimum consistit. Progredimur nunc ad exponendum de origine eius paulatina, quando crasis bilis primum deprauata est. Et quamquam non levis est suspicio, quod nec ipsum hoc craseos vitium sine motus aliqua irregularitate subnasci potuerit: illa tamen magis sanguinis, ex quo secernitur, respectu, quam secretæ iam bilis intuitu, spectatur. Huc autem refero illos ægrotos, quorum aut cystis lapidibus repleta est, aut ductus & pori materia tartarea obducti & obstipati sunt. Horum complures quidem ab anatomicis post mortem demum tales inuenti sunt, quum viuorum color nihil aurugi-

ruginosum præ se tulisset : quæ res aliquos permouit vt calculos cystidi inclusos arquati morbi causam esse negarent : at vero longe plures sunt , qui ictero diu vexati, tandemque extincti, non aliam causam requirentibus anatomicis ostenderunt. Scilicet intelligi potest, quod multi cum calculo vesicæ felleæ , immo cum numero pluribus , satis quiete viuunt , quamdiu illi loco se suo continent ; vt & cum tartareis concrementis latera ductuum obsidentibus, dummodo effluxum liberum permittant, nec meatum omnino obstruant : si vero loco suo expulsi hi lapides in ductibus obhærescant, non secus ac illi, qui e renibus in vretes, aut e vesica in vrethram progrediuntur, magnorum malorum auctores existunt. Nam non solum grauium & satis anxiorum dolorum matres sunt, verum etiam illa ipsa tormentorum diritate immanes sæpe vomitus & singultus concitant , satis certo indicio, quod spasmodum ad vicinos paris vagi , vt & diaphragmatis, nervos facta fuerit propagatio. Idem vero hic fit, quod etiam in vreteribus vsu venit, vt angustis inclusus lapis quantitate superincumbentis humoris , quo ductuum diametri diducuntur & ampliantur , propelli debeat : quare in illis, qui sæpius talem affectum experti sunt, amplissimi deprehenduntur. Atque dum hoc fit, nasci potest ductus cystici, aut etiam communis, mutuus ingressus, seu intus susceptio , qualem *JOBVS* a *MEEKREN* a se visum describit & depictum sistit : quod genus vitii quamdiu durat , nouum progressus & effluxus impedimentum præbet : de quo tamen, vtpote rarissimo, plura non dico. Fieri autem non potest, quin sub illa ductuum obstructione, præsertim tunc , quando , intestino vicinior , illa in

C 2

parte

parte hæret calculus, quæ ductus communis vocatur, bilis effluxu omnino prohibita, illa ad sanguinem regurgitet, sicque icterum faciat, eo fere modo, quem §. præcedente indicauimus: scilicet vt spasmodum vehementia tunicam capsulæ Glissonianæ nerueam arctius constringat, sicque secretionem suspendat. Adducendis autem exemplis calculorum felleorum in ictericis inuentorum, nihil opus esse puto, quippe quorum amplius numerus apud laudatum BONETVM facile se obuium dabit: post cuius messem spicilegium facturus, legat D.D. BEZOLDI dissertationem *de cholelitho Argentorati 1725. habitam.*

§. XVII.

Sed & sub difficili illo transitu calculorum accidere potest, vt latera ductus communis exulcerentur, & deinde concrecant: vnde effluxus bilis in perpetuum auferri, homoque tandem in lethalem & immedicabilem hydroperem asciten incidere debet. Adfert eiusmodi casum valde notabilem JAC. CAMENICENVVS in epistola ad MATTHIOLVM p. 184. his verbis: *ille meatus, qui ex folliculo fellis in intestinum desinebat, lapide obstructus erat: hunc quum exemissemus, nihilo magis tamen effluxit: coaluerat enim foramen illud desuetudine bilem ad intestina mittendi.* Sed & fieri ex eadem ratione possunt in meatu vesicæ felleæ carunculæ, seu carneæ excrescentiæ, quas, tamquam insanabilis icteri causam, ex NICOLO adducit BONETVS l. c. p. 327. Denique inter impedimenta maxima descensuræ & effluxuræ bilis referri meretur mala ductus conformatio, qualem CABROLIVS apud BONETVM c. l. vifam refert. *Reperimus, inquit, porum cholidichum immanni magnitudine ad hepar, ad intestinum vero meatu capillari: vnde bilis,*

bilis, præcluso transitu, iecur repetebat, ac inde per cauam in vniuersum se corpus effundebat. Sed maiorem admirationem facit, quod RHODIVS vidisse se testatur in puellæ ictericæ cadauere, præter vesicam felleam, eiusque meatum in duodenum intestinum, bonam mesenterii partem fuisse plane osseam. Hæ quidem præternaturales constitutiones quando inualuerunt, motum bilis conspicue lædunt: sed vix oriri eas potuisse credo, nisi crasis eiusdem ante corrupta viam ipsis strauisset & præparasset.

§. XVIII.

Progredimur nunc ad recensendas alias icteri causas, in defunctorum cadaueribus repertas, de quibus obscurius est vtrum ad bilis motum vitiatum, an vero ad crasin perditam, potiori iure referri debeant. Huiusmodi est, quod laudatus CAMENICENVS vidit, hepatis venas in parte eius caua, priusquam in communem illum caudicem portæ desinunt, omnes obstructas lapillis eas distendentibus, foris nigris, intus flauentibus. Hos in loco tali, nisi fallor, nemo ante illum obseruauit. Neque tamen dubium esse potest, quod ab eodem bilis vitio enati sint, a quo illi nascuntur, qui in cystide ipsa obueniunt: quodque semel enati, ibique subsistentes, sanguini venæ portæ ad hepar confluxuro impedimentum obiciant. Atque eodem refero, quod de glandulis arteriæ hepaticæ & fellis ductui ad intestina tendenti adiacentibus, apud BONETVM pag. 326. legitur, quarum mole & tumore ita comprimebatur, vt vix aliquo conatu instrumentis tenuissimis esset transitus. Motum bilis ab hac causa fuisse vitiatum dubio caret: sed & illud mihi indubium videtur, quod tumor ille glandularum supponat prægressum

lymphæ ab hepate refluæ vitium : quale a bilis crasi corrupta forte non iniuria deducitur.

§. XIX.

Quæ de icteri causis hætenus allata sunt, ita mihi videntur omnem eius pathologiam complecti, vt nihil habeam, quod addi debere existimem : nisi forte quod de ictero nigro nondum seorsim egi. Quam veteres docuerunt melancholiam, huius morbi fontem, eam me non reperire profiteor. Proinde tamen lienis viscus in partem culpæ hic venire haud negauerim, si illud crebro ac diuturno infarctu labefactatum, aut plane scirrhosum factum, officium suum in sanguine ad bilis faciliorem secretionem præparando non satis exsequitur. De reliquo *χρονιώτερος* hic morbus flauo obseruatur, nec facile primitius obuenit : satis certo indicio, quod magis a bilis corrupta crasi, quam vitiato motu, oriatur. Quumque bilis subinde, immo satis frequenter in senibus, talis obueniat, quæ crassas, instar atramenti nigras, fæces secum ducit : vnde omnino nigri lapides, aut valde fusci, concreescunt : facile intelligitur fieri non posse, quin fuscus color superficiem inficiat, si talis bilis, siue spasmo capsulæ Glissonianæ, siue regurgitatione a præuia obstructione ductuum biliariorum, in humorum massa obuersetur.

§. XX.

Ictero diuturniori tandem manifestissime coniuncta cachexia, seu partium solidarum vitium, atoniæ illarum & flacciditati potissimum inhærens, in omni quidem ictero chronico, sed illa potissimum, qui nigredinem diu prætulit, speciatim hoc efficit, vt cutis poruli conniueant ; vnde in talibus ægrotis transpiratio minima, fudor fere nullus,

lus, obseruatur: quod sordium coaceruationi nimium quantum inseruit. Hinc patet ratio cur parum fudent tales ægroti & cur potius omnes fordes ad vesicam conuertantur: quippe notum est quod superficies cutis & renum viscus, vt & alius, mutuas rationes habeant, ita vt in altero auctior facta excretio, alteri manifeste detrahat. Etiam pruritus molesti causa facile hinc cognoscitur: subsistunt enim halituosæ & salinæ impuritates plurimæ sub cute, ibique coaceruatæ hærent: hinc nonnullis vitiliginis oriuntur: de quibus voluulum arquatam Hippocratis aliqui exponunt. Vidimus etiam iuuenem generosum, qui cum pristina sanitate in gratiam redeundi hoc initium habebat, quod passim in toto corpore, sed præcipue in artubus inferioribus, exoriebatur exanthematum genus instar purpuræ miliaris, quod cum multo rubore & ardore prorumpebat. Mox pustulæ, serosa flaua humiditate turgentes, crebræ interponebantur; quæ, vno alteroque die transacto, sponte exsiccabantur, & squamarum instar defluebant.

§. XXI.

Discessuris iam a pathologica morbi huius consideratione occurrunt tandem venena, quæ inter celeres icteri causas, tam a veteribus, quam recentioribus scriptoribus, recensentur. Sic GALENVS auctor est, cuidam a vipera morso, quum vitæ periculum adhibitis medicinis euasisset, arquatam remansisse: alii similia exempla morforum a cane rabido, aut ab aranea ictorum, annotarunt. Nec desunt obseruationes, quæ confirmant venena deglutita, immo saltem masticata, hunc morbum induxisse. Fieri autem non potest, vt idem feratur iudicium de tam variis vene-

venenis, iisque vel ventriculo illatis, vel humoribus immediate infusis. Quæ quidem pota aut deuorata sunt venena causticæ & septicæ indolis, non aliter agunt, quam spasmus, primum quidem in ventriculo ipso concitato & deinde ad hepar propagato: quare non alia causarum deductione hic opus est. Sic homines isti ignobiles, qui se a circumforaneis mercede conducendos ad arsenicum deuorandum commodant, quando altero die in scenam redeunt luridi & liuidi apparent. Qui vero alia venena, veteribus frigida dicta, assumerunt, quæ noxam non tam in ventriculo primum exserunt, quam illico ad humorum massam transmittunt, & cursum eius liberumque progressum intercipiunt, potius cæruleum saturatum aut nigrum cuti suffundunt colorem: vt nuperrimo exemplo, in *Commercio litterario physico-medico Ann. I. Specim. XLVII. pag. 372.* relato, comprobatur. Ex quo illud saltem apparet, quod generalis accusatio venenorum aliquid secum ferat incommodum. In illis autem, qui post ictum aut morsum venatum in hunc morbum incurrerunt, pathologico scrutinio obstat non solum paucitas observationum plena circumstantiarum recensitione gaudentium: verum, quod maximum est, defectus certitudinis de perpetuo icteri euentu post eiusmodi ictum aut morsum acceptum.

§. XXII.

Quæ ad prognosin icteri pertinent, ea fere iam omnia vel interseruimus, vel ex dictis facile consequuntur. Si soli spasmodicæ stricture innititur, ea sublata facili opera curabitur. Si vero viscerum induratio, scirrhi, abscessus, & malæ conformationis vitia subsint, difficilior & tardior medela erit: sæpe etiam nihil vel optima medela efficiet.

efficiet. Si lapides ductibus biliariis impacti hærent: nihil efficietur directa medicatione, nisi illi prius ad intestinum duodenum propulsi sint. Pro gradu etiam corruptionis humorum vitalium coniunctæ minori vel maiori, curatio vel tarda erit, vel celerem successum nanciscetur. Si maxima hæc sit, & cum viscerum insigni & inemendabili corruptione coniuncta, res fere ad hydropem spectat, & certa morte finem consequetur. Si euacuationum naturalium suppressioni iunctus sit icterus, emendato hoc vitio facilius erit medela. Quando in icteri nigri curatione color viridescit, & ex viriditate ad citrinum sensim mutatur, optimum hoc est signum speratæ conualescentiæ. Qui semel iterumque ab hoc morbo liberati identidem in illum recidunt, habent cur suæ valetudini metuant: & vix illi immunes erunt a calculosis concretis felleæ cystidis censendi: quibus an mederi in solidum aliquis possit, valde mihi dubium videtur.

§. XXIII.

Curationem icteri aggressurus vel recens & subito enatum morbum præ manibus habet, vel iam inueteratum & profunde radicatum. In recenti malo primaria indicatio est, ut spasmodica strictura capsulæ Glissonianæ, vicinarumque partium, quam celerrime & tutissime fieri potest, resoluator, sicque bilis tam secretio, tantisper suspensa, quam effluxus, libertati naturali restituatur. Hoc vero exsequuturus medicus, ægrotum suum considerans, facile assequetur quo gradu spasmi adhuc sæviant. Si cardialgia & vomendi conatus adfunt, medicinæ emeticæ oleum camino addent: neque multo minus nocebunt purgantia. Tutius aget qui anodinis & paregoricis ex-

D

ternis

ternis pugnabit, ut pulte ex fegopyro aut auena decor-
ticata, cum floribus chamæmeli cocta, & croco consper-
sa: quæ linteis inuoluta ventriculi regioni tepida impo-
natur, identidem, quando refrigerat, renouanda. Si ca-
lidum hoc cataplasma ægroto molestum videatur, em-
plastrum de hyoscyamo vel cicuta misceatur cum sapo-
nato, addito tantillo emplastri de ammoniaco, eique
vel pulueris cumini, vel olei eiusdem, modicum addatur,
idque corio molli inductum hypochondriis imponatur.
Interne dentur potiunculæ ex aquis diapnoicis & sedati-
uis, quibus laudani liquidi Sydenhami refracta dosis in-
stilletur. Quamprimum conquieuerunt vomitorii mo-
tus, huiusmodi mixtura nihil amplius opus est: sed em-
plastrum secure continuatur. Nec operam ludet, qui
inter initia enematis paregoricis pugnabit, quarum ma-
gna est in superiorum canalis alimenti partium cruciati-
bus sedandis efficacia, etsi non nisi inferioribus infundun-
tur. Sedatiuo etiam effectu agit, quod SYLVIVS tan-
topere prædicat, lac bubulum cum cannabis semine de-
coctum & expressum: illud enim semen sulphure quo-
dam vaporoso, magis etiam quam papauer, fœtum est.
Si lac ob aliquas causas displicet, sola aqua ad emulsio-
nem ex decocto semine parandam sufficiet.

§. XXIV.

Altera indicatio est, ut cachexiæ incipienti obicem
ponat, iam vero præsentem emendare studeat, procura-
to chyli laudabilis prouentu. Huic satis fiet per blanda
remedia absterfua & laxantia, quibus primarum viarum
mucus incidatur & deinde educatur. Præcipue laudabile
hic est rhabarbarum, sale quodam medio roboratum: aut
eius

eius tinctura menſtruo aqueo, addito lixiuo fale, extracta, quæ in quibusdam officinis anima rhabarbari vocatur. Antiquum remedium, ſed a SYLVIO demum celebre redditum, eſt ſapo: quem vel ſub forma pilularum maiorum deglutire; vel lacte calido ſolutum & ſaccharo edulcoratum præbere licet, non parce, ſed vt intra nycthemerum vncia integra, aut non multo minus, adſumatur. Qui ſaponi venali non fidit, ipſe coquendum ex puro fale tartari & oleo oliuarum, quin amygdalarum, curet. Si hoc nondum ſatisfaciat, bilisque influxum adhuc deſiderari cognoſcamus, chylicationem promouere licebit vitello oui molliſſime cocti vno vel altero in fine prandii ſorpto. Quo vero maiorem ægroto fiduciam faciamus, & contemptum rei quotidianæ tollamus, pauxillum ſorum cheiri in puluerem redactorum ſimul ſorbere præcipientur: vnde mixtura emergit bili ſic ſatis analoga, & experientiæ ſuffragio multo commendata. Horum rite continuato uſu operæ pretium facturum eſſe medicum prorſus confido: vtique ſi diætæ rectæ accedat ſemper neceſſarium ſubſidium. Quantum proficere licuerit vrina potiffimum docebit ab intenſa flauedine ſenſim remittens, vt & externi habitus emendatior adſpectus. Si vero tardius hæc voto reſpondeant, ad tonum fibrarum relaxatum excitandum & inſtaurandum aliqua porrigenda ſunt. Laudant alii hoc ſcopo martialia: ſed Excell. D. D. ALEX. CAMERA-RIVS plurimum celebrat corticem Peruvianum, quem ſemper cum caſcarilla, nitro aut ſalibus digeſtiuis miſcet: quem imitaturus legat diſſertationem *de uſu corticis a febre ad icterum extenſo*, ante biennium ſcriptam. Et quamquam ipſemet experiendi hanc methodum occaſio-

nem nondum habui : ab expertis tamen fide dignissimis viris cognoui, quod omnino bene se gerat hæc medicatio.

§. XXV.

Quando calculi a vesica fellea expulsi in ductibus hærent, eadem fere omnia facienda sunt, quæ §. XXIII. indicauimus. Qui minus fastidiosi sunt, ab infuso hippenterorum cum vino albo facto, & saccharo condito præsentem opem ferent : qui vero per os assumere nolent, enema hinc paratum inuenient probatissimum. Spectatæ etiam vtilitatis est spiritus anodinus Excell. HOFFMANNI, itemque spiritus nitri dulcis. Exterius vesicæ bubulæ decoctis carminatiuis repletæ imponantur.

§. XXVI.

Crafi autem bilis emendandæ extra paroxysmum studendum est. Remouendus est vsus, aut potius abusus, humorum spirituosorum : quibus nihil esse potest nocentius homini, qui huic iam vitio obnoxius est. Potus dilutus sufficiens commendari debet. Serum lactis, vt & thermarum atque acidularum prouidus vsus, insignissimum fructum hic spondent. Ab animi affectibus vehementioribus, iracundia, mœrore, inuidia, quantum fieri potest longissime remoueantur ægri, & de reliquo rerum non naturalium vsu ita instruantur a prudente medico, ne quid œconomia vitalis detrimenti capiat

F I N I S.

EGRE.

EGREGIO
AC PRÆCLARE DOCTO
DNO. CANDIDATO
FRIDERICVS HOFFMANNVS,

S*Icut ad omnes disciplinas recte & cum fructu
percipiendas, ita etiam ad medicam, ejusque
præcepta salutaria rite haurienda, tribus re-
quisitis, ingenio videlicet, doctrina & industria
s. exercitatione, opus esse, constans semper doctorum
fuit sententia. Neque enim feliciter atque cum lau-
de quispiam suas peragit partes. ad quas non eum
natura ante finxerit atque formarit. Hinc non tan-
tum oratores, poëtæ & artifices, sed & philosophi &
medici nascuntur, atque interno quodam impetu &
ardore ad has arripiendas disciplinas feruntur; sed uti
agri cultura & majorem perfectionem & fœcundita-
tem accipiunt: ita etiam ingeniorum vis fideli institu-
tione solidaque doctrina augefcit, atque in melius pro-
vehitur. Cui si demum assidua industria & indefessus
labor atque exercitatio accesserit, perfectum quid,
quod ad usum & bonum publicum proficere possit, in-
de*

de evadit. Qua propter non possum quin hoc nomine Tibi, Clarissime Candidate, gratuler. Divini enim Numinis benignitate naturam ad studium medicum aptam nactus es, quam egregiis & solidis ac frugiferis Doctorum celeberrimorum in Jenensi & hac Academia præceptis eximie perfecisti atque excoluisti. Accessit etiam indefessus labor atque industria, quam ego in collegio privatissimo, cui interfuisti, probe observavi, quæ tam in theoria, quam ipsa praxi, utilia percepisti, in succum & sanguinem convertere annisus es. Quocirca ex hisce omnibus non possum non multa fausta, prospera & ad usum proficua, bono publico de te polliceri atque ominari. Quæ ut benignissimum numen largio fœnore tibi concedat, omnique benedictionum genere tuos labores beare, atque secundos & fœcundos in praxi successus velit elargiri, ex toto pectore precor.

